

www.e-rara.ch

**Raph. Fabretti ... De aquis et aquaeductibus veteris Romae
dissertationes tres**

Fabretti, Raffaele

Romae, 1680

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-5371>

Dissertatio I.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.


Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

est aliquid memori uifa notare manu
PARTIS LATIA ROMAE LABICVM VSQVE
DESCRIPTIO
 DISSERTATIONI IDE AQVIS ET AQVAEDVCTIBVS
 VETERIS ROMAE PRAEMISSA
 auctore Raph: Fabretto Gasp. f. Vrbinate



3

DE . AQVIS
ET
AQVAEDVCTIBVS
VETERIS . ROMAE
DISSERTATIO . I

IOANNI . LVCIO . TRAGVRIENSI
VIRO . ILLVSTRI
RAPHAEL . FABRETTVS
GASPARIS . F . VRBINAS
FELICITATEM



FECIT studium in me Tuum, ne omnino displicerent mihi ea, quæ diebus superioribus de Aquis, circa Anienem à me obseruatis, ad Te scripseram: dum, & Tuo, & amicorum Tuorum nomine, (quos plurimos, eisdemque eruditissimos habes) ijs laudibus diligentiam meam affecisti, vt iam indè alacriorem me sentiam ad propositum de hac materiâ examen prosequendum: quod iam exequutus fuisset, nâ caelestium aquarum copia Aquarum huic

meæ provinciæ aduersam se se exhibuisset . Non tamen omnino me cessasse putes : nam , etsi ad longè sepositos fontes Marcix , & Claudix iterum accedere , & certiori coniecturâ cogitationem mihi obortam profequi non valuerim ; non inutiliter forsan , in proximiori Aquæ istius , quam* Felicem à suo
 1 ante Pontificatum nomine Sixtus perducens vocauit, olim quoque (vt audies) alio quamuis itinere Romam delatæ , me versatum Tibi ostendam .

Primò enim certum in ordinem digessi , & ad vnum eundemque Aquæductum pertinere deprehendi , omne opus , tam arcuatum , quàm substructionis supra terram , quod plures Valles circa Viam Labicanam , & postremò ipsam inter Gabinum , & Regillum Lacum planitiem ,* in cuius supremâ parte
 2 ad meridiem , huius Aquæ riuus , nec non Osæ Fluuij fontes emergunt , occupare inueni : quod iam mihi , adhuc de hâc re incredulo , pluribus missis ac receptis epistolis dum Urbini essem , inculcauerat Hadrianus* Auzout Rothomagensis , vir emunctæ
 3 naris , & non minus rerum naturæ , quàm antiquitatum sagacissimus perscrutator : similis enim vbique structura , riuique latitudo , atque altitudo , aliter dubitari non sinunt . Accipe igitur annexam in Chartâ Topographicâ totius Ductus seriem .

*Explicatio Chartæ Topographicæ , Ductum
 Aquæ Alexandrinæ continentis .*

1 *Vltima Romam versus substructio huius Aquæductus
 in Vineâ Chartusianorum*

2 *Arcus*

- 2 Arcus LII. in Valle d'Acqua Bollicante
- 3 Substructio post intersectionem Via Labicana
- 4 Arcus LXXXII. omnium altissimi in Valle di Casa
Rosfa
- 5 Arcus VII. modicae altitudinis in Valliculâ sequenti
- 6 Arcus XXIII. in aliâ
- 7 Arcus XVIII. in aliâ
- 8 Aqueductus ex principali sinistrorsum deriuatus sub
Casa Calda
- 9 Arcus CII, qui duas successiuas Valles occupant
- 10 Arcus XXVIII. in Valle della Marrana
- 11 Arcus XXII. in sequenti Valle, in gyrum dispositi
- 12 Arcus L. pariter in gyrum
- 13 Aqueductus ex principali dextrorsum deriuatus
- 14 Arcus unicus in medio substructionis pass. xij
- 15 Arcus XXVIII. sub Casale di Tor d'Angeli, Via Prae-
nestina propiores
- 16 Arcus IIII. humiliores, & ferè obruti
- 17 Arcus unicus ex crassis Gabinis lapidibus super hoc riuo
- 18 Putei V, & indicia aliorum III. separatim descripti
- 19 Alius, antedictis similis
- 20 Noua emersio substructionis post longum riuum subter-
raneum, sub Casale di S. Antonio
- 21 Arcus LXVII. post Stabulum, vulgò Procoio di Pantano
- 22 Arcus LXII. in mediâ planitie
- 23 Arcus XLV. primè huius Aqueductus
- 24 Piscina Limaria, separatim descripta
- 25 Vestigia Ductus, Anienis Veteris (ut credimus) portionem
deferentis
- 26 Rudera Templi ad IV. Lap. Via Latina, Fortunæ forsân
Muliebris
- 27 Piscina (ut credimus) Aquæ Marcia
- 28 Aliæ, Aquarum Iulia, & Tepula.

Neque ex superuacuo nos laborasse putes, eò quia
Regionis istius iam pridem * certam, & quàm exa- 4
ctis.

*Etissimam, & unâ strictioris Latij Topographiam, non tam calamo, quàm proprijs pedibus dimensam, delineatamque P. Athanas. Kirch. exhibuerit, vt in suo Latio par. 2. cap. 4. fol. 70. profitetur: nam, vt verum fatear, Tabula illa miseris modis deprauata est; siue quia, vir summus, & in geometricis consummatissimus ab incorporeis rebus, solâque intelligentiâ percipiendis, ad ista sensilia, quæ multum, & illiberale requirunt otium, respicere, indignum putauit, vt ex Platone Plutarch. in vitâ Marcelli tradidit; siue quia Operarum incuriâ proditus fuit, ita vt omnia suisque deque iacentia, & veluti casu quodam proiecta videantur. Inter quæ, ad rem nostram, (nam cætera libens, volensque prætermitto) in ipso loco prope Oppidum Columnæ, vnde hæc Aqua deriuatur, * Virginis origo esse dicitur, cuius fontes decem circiter milliarijs hinc absunt, ad Viam scilicet Collatinam, & octauo ab Vrbe lapide ex Frontino; ac prope Anienem Fluuium, in eâ Tabulâ nusquam extantem.*

Antequam autem ad pleniorẽ descriptionem, vltra ea, quæ in Chartâ generatim adnotantur accedam: subit mirari rerum humanarum vicissitudinem, & factorum quantumuis egregiorum obliuionem imminentem, cum præter ætatis damna, quæ præ structuræ firmitate perpeti hunc Aquæductum vix potuisse, quis sibi persuaserit; vnâ cum rei vsu nomen ipsum authoris interciderit. Vt proinde, verius nescio, an elegantius, applicetur Poëtæ nostratis epiphonema,


*Così, se bene un tempo, al Tempo guerra
Fanno l'opre famose, à passo lento*

E l'opre, e i nomi insieme il Tempo atterra.

Et quidem ingentes eiusmodi in publicum bonum extractæ moles, non eandem ac pyramides otiosæ fortem merebantur; ritè enim in illis, *iustissimoque casu obliteratos fuisse tantæ vanitatis authores* exclamat Plin. hist. lib. xxxvj. cap. xij, sed indignè prorsus fama egregij, & vtilissimi operis culpâ temporis, & silentio Scriptorum euanuit. Demus tamen, Conditoris nomen fuisse obliuioni per aliquot hucusque sæcula traditum; at nequaquam de hoc opere dici potest, illud solo penitus procubuisse; nam in ipsis ruinis, ac parietinis, tantum est adhuc, quod veluti attoniti contemplerur, vt quemadmodum Tempori rerum edaci tandiu restiterunt, ita perpetuam quandam durationem, & feræ posteritatis admirationem polliceantur.


* Opus ipsum vndique lateritium apparet, expositâ laterum facie, & exactè ad lineam dispositis ordinibus. Pilæ quadratæ viij. pedum crassitiem implent. Distantia pilarum, siue arcuum apertura, est vbique ped. xij, præterquam in vltimâ Valle versùs fontes, vbi x. ac semis; vnicâ vbi demissiores, duplici verò in altioribus laterum bipedalium ferie efformati. Quò verò maior operi soliditas accederet, eminentiores ex istis arcubus fornicem alium inferiùs curuatum habent, quo pilæ inter se colligentur, nèue immenso hiatu fatiscant. Specus mensuram, retractiones, ornamenta, mutulos, ac cætera
minu-

minutiora, binæ quas adiungimus delineationes me-
 liùs exhibebunt: quarum ea quæ prior est, opus Vrbi
 propinquius; secunda, arcus in vltimâ, & vliginosâ
 Valle, dictâ di *Pantano* repræsentat;



A Specus, latus ped. ij. & semis, altus vsque ad curuatu-
 ram fornix ped. iij. & semis. Fornix ipse ped. i. unc. iij.
 Latera hinc indè crassa ped. ij. unc. ij.

A Spe-




A Specus, latus ped. ij. unc. vij. Latera eiusdem crassitie
B Spiramina varijs interuallis distributa, patent in quad. p. ij.
C Supercilium lateritium circa lateres arcuum (& sem.
D Forma Puteorum ad terra egestionem, & spiramentum
 Aquæ super Ductu excauatorum, foraminibus laterali-
 bus ad scanfionem dispositis

Opus eorum ex topbo, & latere alternatim compositum est. *
 quibus tertiam, *Piscinam Limariam num. 24. adie-

*

7



cinus, in quâ Aqua excipiebatur, & quasi respirante riui cursu, limum deponebat, (quod erat præcipuum Piscinæ munus ex Front.num.26.) Ex Ductu enim superno A, Aqua per ostium B in lacum C ingrediens, ibique depurata, rursus per D in E se exonerans, Romam versùs iter continuabat.

Vetus ex eisdem rei status oculis subiectus est, hodie plurimùm immutatus, quâ disturbatis, quâ resectis arcubus, & quidem non vno tempore: *
 8 alibi enim lateritio munimento fornices suffultos, pilasque circumplexas videas; alibi (& id pluribus in locis) rudi tophe suffarcinatas refectiones, vnde artis ignorantia, & curtæ restaurantium vires, animique se produnt. Quæ verò Ductus pars Vrbi proximior erat, adèò incursum, & vastationum damna sensit, vt appareat, primam substructionem, primosque arcus ad dextram Viæ Labicanæ occurrentes ad num. 1. & 2, à solo fuisse resectos; nihil enim in illo opere, quod elegantiam, aut mensuram residui sapiat, reliquum manet*. Est quoque notandus,
 9 recens, siue vsus, siue abusus huiusce Aquæductus, vbi super eisdem arcubus num. 2. nullo specu, sed riuo in ruderibus excauato, hodie contrario cursu, Aquæ Crabræ portio fertur, & orientem versùs deducitur,

Tantum cui longinqua valet mutare vetustas.

Arguit itaque diutissimè hanc Formam perman-
 10 sisse, tam varietas dictarum restorationum, * quàm crustæ vix credibilis crassities, nedum in ipso riuo penè obstructo, & sæpius ad dodrantis intercapedinem

nem restricto ; sed ad latera exteriora ipsius Ductus , vbi humor ex eodem exsudans , in ingentes moles , quæ vehem fœni onustam imitantur , coaluisse videmus . Quod malum cum aquis Tiburtinæ regionis commune habuit : nam , & ipsa Marcia ,

Quæ tam candida , tam serena lucet ,

Vt nullas ibi suspiceris undas ,

Et credas , vacuum nitere Lygdon ,

vt de eâ Martial. lib.vj. epig. xlij. cecinit ; Deûmque vt ait Plinius , *munere Vrbi tributa* , in crustam longè hâc , de quâ loquimur , spissiore , magisque compactam induruit : hæc namque obscurior , & turbidior , sed æquè rarior , ac fragilior existit .

Quæ autem ratio impulerit Architectum , * vt contemptâ rectâ viâ , quæ etiam vti altior minoris I I operis arcuati indigebat , per demissiora , & concaua loca Aquam ducere instituerit , diu multùmque me latuit : ita vt ob tantam Ductus obliquitatem , ex angulo ad Prænestinam Viam ad num. 26 , rectâ Tibur , quod ibi respicit , petere iudicauerim ; donec tandem ex sæpius locorum iteratâ inspectione , & amici monitu , vt dixi , reliquo operis reperto , causam rei inuenisse , & prouidentiam illorum temporum exsoluere posse putavi . Credo etenim , soli firmitatem , quamuis per longioris itineris anfractus , fuisse quæsitam , quæ in recto tramite non æquè àc in subiectis locis reperitur . Regio enim ista , quò propiùs ad Anienem accedit , eò magis solidâ humo consistit , & * rubentis Collatini lapidis per Strab. lib. v. celebrati latomijs scatet . Nec tantum I 2

fundamenta stabili loco iacere par erat ; sed quia Ductus ipse , vti optimus , maximusque est , totus ex cæmentis compositus est , (si exteriorem tantummodo lateritium veluti corticem excipias) pertinebat ad operis perennitatem , solidiora , quàm fieri poterat , cæmenta non longè exquirere , sed circa opus colligere . Addam quoque , etsi ratio deesset , speciem magnificentiæ vltro appeti potuisse , ostentatione * altissimorum fornicum , quorum ope , pluribus in locis ad lxx. pedum fastigium attollitur .

13 Descripto opere , restat modò , vt istius Aquæ perducendæ authorem inquiramus , & rem hæcenus antiquitatis studiosis intactam , siue aliquibus desperatam , Eruditorum censuræ exponamus . Intentasse quidem videtur , sub specioso , & omnem hanc Aquarum materiam comprehendente titulo * *De*
14 *Aquis veteribus in Urbem Romam influentibus* , Aldus nepos de quæst. per epist. lib. 1. cap. 2: verùm dum proæmio gustum acuate allectus , opiparam mihi promitto cœnam , nîl præter macerrimam Frontini epitomen , mendis insuper scatentem , & alias quasdam ex Plinio quisquilias appositas , cum nausæâ vidi . Iam igitur , vt meæ coniectioni , nullo quamuis adiutore , viam sternam ; illud præmittam , nempe hunc Ductum inter ix, quos Front. descripsit , connumerari non posse ; id quod ex ipsorum recensitione euidenter conuincitur .

15 * Non enim hæc Appia fuit : illa etenim inter mill. vij. & viij. Viæ Prænestinæ sinistrorsus concipiebatur , totaque subterranea (demptis pass. lx.

pro-


proximè ad Portam Capenam) deueniebat, ex Front. num. 4; hæc ad dextram Prænestinæ, Labicanæ Viæ propior, emergit ad mill. xiv. circiter, (vltra iij. ferè pass. M, quæ à conceptelâ, & acquisitionibus, quorum initium est ad ipsam Viam Labicanam, vsque ad dictam emersionem intercedunt) plurimoque opere tam supra terram, quàm arcuato insignis deuehitur, vt in Chartâ speciatim explicauimus.

In hâc, alijsque Frontini nuncupationibus, * Indicem M. S. Benedicti Millini, iam per omnes Vrbanos codices diffusum, vtî diligentissimum, & copiosissimum sequimur; quòd si fortè ad manus non est, sciant lecturi, à num. 49. librum II. incipere, & per enumerationem quinariarum vniuscuiusque Aquæ, ad numerum vsque 74. procedere, & cum numero 105. finem accipere.

* Non Anio Vetus: quia origo ipsius supra Tibur ex Front. num. 7, huius autem nostri sub Oppido Columnæ, vbi Labicum cum Holstenio fuisse credimus, omnem confusionem excludit: ita vt non sit opus excutere differentiam substructionis supra terram, quæ in Aniene est passuum DCCII, in hoc verò Ductu pass. III. M. CCL; & carentiam in Aniene Vetere omnis prorsus operis arcuati, quod in isto est passuum II. M. CCCXXV; itemque recentior, quàm illa Anienis Veteris structuram; illam namque, florentibus Reipub. temporibus, A. V. CDLXXXI. factam ex Front. sci- mus num. 6; hanc post Imperium productam indi- cat* later ibi repertus cum hoc Figlinæ signo, AVG. N.

siuè

siue *Augustum Nostrum* commemorante ; & quidem arcubus primitiuis insertus , ne occasione refectionum inditum dubitemus .



* Non Virgo , cuius fontes etiamnum conspicui
19 sunt ad Viam Collatinam mill.viii, vbi eos Front.
describit num.16.

* Non Marcia , Claudia , seu Anio Nouus , quæ
20 omnes Aquæ Viâ Valeriâ , vel Sublacensi ortum ha-
bebant , ex eodem Front.num.10. 20. & 22.

* Non Iulia , aut Tepula , quæ ad dexteram
21 Viæ Latine conceptæ , in eisdem arcus , Aquæ sci-
licet Marcie recipiebantur , vt ex Front. numer.27.
patet.

* Non

* Non denique Alfietina, quæ ex Lacu huius nominis in Etruriâ, Viâ Claudiâ mill. xiiij. Diuerticulo dextrorsus pass. VI. M. D. petebatur, iuxta Front. num. 17; cùm ista in Latij meditullio scaturiret. * 22

Hiscæ omnibus, inquam, Frontini Aquis exclusis: cùm pro comperto habeamus * Seuerum Alexandrum Aug. Aquam perduxisse, nec alteri hunc Aquæductum, aut huic authori alium Ductum attribui posse; liquidò consequitur, Alexandrum fuisse huius operis authorem. * 23

Quòd Alexander Aquam duxerit, aperit nobis Spartian. in eius vitâ per sequentia verba, *Opera veterum Principum instaurauit, ipse noua constituit. In his Thermas nominis sui, iuxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, Aquâ inductâ, quæ ALEXANDRINA nunc dicitur.*

Hoc idem ostendit nummus ipsius cum Thermis ac Fonte, per quem, Aquæductum significari mos fuit, in Museo Rondanino optimâ sui formâ, & conseruatione (vt rei nummariæ periti vocant) conspicuus, vnde exemplar deprompsit Angelon. in hoc Cæsare num. 3; quamuis Oisfel. Baianum sinum, & nauim significari credat Tab. CIX. 7.

Meminerunt quoque huius Aquæ ALEXANDRINAE Pub. Victor, & Notitia Imperij.

Quòd tandem, neque huic Imperatori alius Ductus, neque huic Ductui alius author dari possit, (hæc enim duo iam se inuicem consequuntur) patet; quia, vltra Frontini Aquæductus, * duos tantum agnouit in hâc Vrbe posteritas; hunc videlicet, de quo 24

* quo sermo est, ac * alium trans Tiberim Traianæ
 25 Aquæ, vt probabimus, quæ secus Viam Aureliam
 per duo ferè passuum M. delata, per Portam, quæ
 siue Aurelia sit, siue Pancratiana, prout vsque à Pro-
 copij temporibus vocabatur, Urbem ingreditur, & in
 summo Ianiculo se ostendit.

Vt enim alios arcus, & Aquarum specus, qui per
 Urbem sparsi sunt, calamo hâc occasione, vt pluries
 oculis simul fecimus, perlustremus; quò hanc, seu
 aliam, quæ Alexandri nomen ferret, Aquam recepisse
 excludamus: * Ij, qui ab orientiori Urbis angulo om-
 26 nium altissimi, secundùm Urbis mœnia, ad Portam
 Maiorem deueniunt, Claudiam, & Anienem Nouam
 deferebant, vt Frontin. num. 28. tradidit, & ostendit
 sequens inscriptio quattuor versibus comprehensa,
 ibi ex utroque latere inhærens.


TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAISAR. AVGVSTVS.
 GERMANICVS. PONTIF. MAXIM
 TRIBVNICIA. POTESTATE. XII. COS. V. IMPE-
 RATOR. XXVII. PATER. PATRIAE
 AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QVI. VO-
 CABANTVR. CAERVLEVS. ET. CVRTIVS.
 A. MILLIARIO. XXXXV
 ITEM. ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO.
 LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDV-
 CENDAS. CVRAVIT

* Proximi istis, ad dexteram Romam venientibus,
 27 erant alij, qui Specus Aquarum Marciaë, Tepulæ, ac
 Iuliaë sustentabant, quorum vix superest vestigium,
 cùm eorum rudera operi arcuato Sixti V. cesserint.

Quâ

Quà verò integri procul ab Vrbe adhuc remanent, in Villâ rusticâ Fundi, *Sette-bassi* nuncupati, ad V. lap. Viæ Latinæ, in exactissimam formam, summamque firmitudinem * hâc specie constructos inueni;

* 28



*A. Specus, latus ped. II. & semis; altus ped. V. & semis.
Latera hinc inde crassa ped. I. & unc. III*

*B. B. Totâ specus altitudo, & fascia sub Arcubus, constat
ex lapide Collatino rubente*

*C. C. Terni lapidum ordines sub specu, ex Tusculano lutei
coloris, Sperone nuncupato*

Reliquum opus ex lapide Gabino subfusco

vt rectè Propertio dictum sit lib. III. eleg. XXII.


. *eternum, Marcius humor, opus,
verèque Plutarc. in Coriolano, maximum hunc, &*

C pul-


pulcherrimum Aqueductum vocauerit, quaesitâ insuper ex discolore lapide elegantia.

- *
29 Nec dubium est, quominus iunctæ, atque * ordine supra exposito ascendendo deuenerint; tum ex his verbis Front. num. 27, à *Piscinis in eosdem arcus recipiuntur, summus ijs est Iuliæ, inferior Tepulæ, deinde Marcia*; tum ex alijs num. 25, *altissimus Anio est Nouus. proxima Claudia, tertium locum tenet Iulia, quartum Tepula, dehinc Marcia*; & paullo infra, *sextum tenet libræ locum Anio Vetus* &c., *sequitur huius libram Virgo, deinde Appia*. Quæ omnia, optimè respondent sectioni scenographica, quam proponimus vtriusque Specus, Claudia, & Anienis Nouæ ad Portam Maiorem, extra quam, ad dexteram intrantibus, earundem Aquarum Iuliæ, Tepulæ, Marcia Riuus, * vt hic vides (non quidem Claudia, vt Fabric. cap. 30 xvij. pag. 201. malè coniecit) sese offerunt;

- A. Specus Anienis Nouæ
B. Specus Claudia
C. Specus Iulia
D. Specus Tepula
E. Specus Marcia
F. Locus inscriptionis Ti. Claudij Caesaris, supra num. 26 exposita
G. Locus inscriptionis Vespasiani Caesaris, in restitutione huiusmodi Aquarum
H. Locus inscriptionis Titi Caesaris, eadem occasione appositæ.
I.I.I. Summitas fornicis conuexi exterioris Aquæ Felicis, VI. pedibus sub fundo Claudia, VIII. supra fundum Iuliæ.



Scala ped: Roman: XXV



qui deinde ad Portam recentem Sancti Laurentij, in-
scripto nomine Marciae in sequentibus epigrammatis
Titi, & Caracallæ, (ne de eis hæsitatio remaneat) rur-
sus apparent.

IMP. TITVS. CAESAR. DIVI. F. VESPASIA-
NVS. AVG. PONTIF. MAX
TRIBVNICIAE. P. O T E S T A T. IX. IMP. XV.
CENS. COS. VII. DESIGN. VIII
RIVOM. AQVAE. MARCIAE. VETVSTATE.
DILAPSVM. REFECIT
ET. AQVAM. QVAE. IN. VSV. ESSE. DE-
SIERAT. REDVXIT

IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS
FELIX. AVG. PARTH. MAXIM
BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS
AQVAM. MARCIAM. VARIIS. KASIBVS. IM-
PEDITAM. PVRGATO. FONTE. EX-
CISIS. ET. PERFORATIS
MONTIBVS. RESTITVTA. FORMA. ADQVI-
SITO. ETIAM. FONTE. NOVO. ANTO-
NINIANO.
IN. SACRAM. VRBEM. SVAM. PERDVCE-
DAM. CVRAVIT


*
31 Qui à Porta Maiori ad sinistram per Coelium se
extendunt, Neroniani vocabantur, & partem Aquæ
Claudiæ deferebant, vt ex Front. num. 28. edocemur,
*Finiuntur arcus eorum [Claudiæ, & Anionis] post hor-
tos Pallantianos, unde in usum Urbis fistulis dedu-
cuntur, partem tamen sui Claudia prius in Arcus, qui*

vocantur *Neroniani* * ad Spem Veterem, transfert: ij
 directi per Coelium montem, iuxta Templum Divi 32
Claudij terminantur. Ex quibus verbis patet, fal-
 sam, & diminutam esse diuisionem Aquæ Claudæ,
 quam suprâ memoratus Fabric. eod. cap. xviii. pag. 201
 expedit, quasi vnus Ductus è Coelio in Capitolium,
 alter in Auentinum tenderet: nam iste, subdivi-
 sionem, pro primâ, & summâ diuisione, contra Fronti-
 num, diuenditauit; illius scilicet partis, quæ per Ar-
 cus Neronianos transferebatur, remanente, ac præ-
 termisâ alterâ, quæ (vt vidimus) post hortos Pal-
 lantianos in usum Urbis fistulis deducebatur. * Cœ-
 limontanos quoque appellatos fuisse, monstrat fe- 33
 quens inscriptio apud Grut. pag. clxxxvij. 3:

IMP. CAES. DIVI. M. ANTONINI
 PII. GERM. SARM. FILIVS. DIVI. COMMODI
 FRATER. DIVI. ANTONINI. PII. NEP. DIVI
 HADRIANI. PRONEP. DIVI. TRAIANI
 PARTHICI. ABNEP. DIVI. NERVAE. ADNEPOS
 L. SEPTIMIUS. SEVERVS. PIVS
 PERTINAX. AVG. ARABIC. ADIAB. PARTHIC
 MAX. PONT. MAX. TRIB. POT. VIII. IMP. XI
 COS. II. P. P. PRO. COS. ET
 IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEVERI. PII
 PERTINACIS. AVG. ARABIC. ADIAB
 PARTH. MAX. FIL. DIVI. M. ANTONINI
 PII. GERM. SARM. NEP. DIVI. ANTONINI
 PII. PRONEP. DIVI. HADRIANI. ABNEP. DIVI
 TRAIANI. PARTHIC. ET. DIVI. NERVAE. ADNEP
 M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS
 FELIX. AVG. TRIB. POTEST. III. PRO. COS
 ARCVS. COELIMONTANOS. PLVRIFARIAM


VETVSTATE. CONLAPSOS. ET. CONRVPTOS
 A. SOLO. SVA. PECVNIA. RESTITVERVNT
 quæ licèt in Regione Harenulæ extare dicatur, IN
 hoc tamen *AQVÆ DVCTV ANTE HOSPITA-*
LE SANCTI IOHANNIS OLIM AFFIXA
 erat, vt enunciatur in veteri M. S, quod in suâ instru-
 ctissimâ Bibliothecâ asseruat, instructor ipse omnige-
 nâ literaturâ, Illustris. D. * Marcellus Seuerolius.

- * 34
 * Quid modò sibi velit * Nard. lib. viij. cap. iv. fol.
 35 107, non satis intelligo, *Gli Archi Neroniani hoggi*
appaiono di materia lateritia, mà gli altri, che son
fuora delle mura, fatti di grosse pietre, danno indi-
zio, che ancor questi fossero di non minor magnifi-
cenza; onde quel che hoggi se ne vede, fu incami-
sciatura fatta loro forse in tempi meno felici &c.
 Nescio enim, cur in hâc parte Aquæ Claudix, à Ne-
 rone, ex principali Formâ aliorum tendente, deri-
 uatæ, eandem ac in toto Aquæductu structuram la-
 pideam exigat, ita vt de refectione horum arcuum,
 & solo lateritio cortice dubitet. Vbi enim lapidei
 operis toto hoc tractu vel leue vestigium? & quo-
 modo pilis istis lateritijs, nimîa gracilitate, & suorum
 arcuum amplitudine vitiosis, nî ratio circumiacen-
 tia Urbana ædificia, minùs quàm fieri potest, offu-
 scandi excusaret; pilis, inquam, istis, viij. tantum
 pedes longitudinis, vij. latitudinis habentibus, duplò
 ferè maior aliarum lapidearum moles comprehendi
 potuisset? vt ex vtriusque * Ductus, quem hâc occa-
 sione exhibemus, comparatione deprehendere lice-
 bit.



20

scala ped: Rom: XX
 X XX



- A. Specus Claudia, latus ped. iiij. unc. ij, altus ped. vi. Latera hinc indè crassa ped. ij
- B. Specus Ductus Neroniani, latus ped. ij. unc. ix, altus usque ad curuaturam fornicis ped. v. & semis. Fornix ipse ped. i. & semis. Latera hinc indè crassa ped. i. unc. x. & semis
- C. Lateres arcuum diuersâ magnitudine; interiores nempe bipedales, exteriores ped. i. unc. iv
Apertura arcuum, ubi amplior, est ped. xxvij. & semis; minima ped. xvij. & semis; & inter hæc extrema passim varians, pro modo elationis ipsorum.


* Refectionem verò Seueri, & Antonini, de quâ in-
37 scriptio, ostendunt omnes illi arcus, qui à simplici-
tate, & venustate eorum, quos descripsimus rece-
dunt; & hos tantum obseruasse Nardinum credi-
mus, dum opus exactissimum, *incamisciatura in tem-
pi meno felici*, appellare placuit. Nec enim, quia la-
teritios* suos Arcus Nero construxit, (aliàs oppidò
38 quàm elegantes, & suo conditore dignissimos) ideo
minus magnificos, vtilesque iudices: nam Vitruuio
hæc potissimum materies probatur lib. ij. cap. viij,
vbi plura per vniuersum Orbem ex latere constitu-
ta, publica, Regiâue opera enumerat, & tandem in
hæc verba desinit, *Cùm ergo tam magnâ potentiâ
Reges, non contempserint lateritiorum parietum stru-
cturas, quibus, & vectigalibus, & prædâ sæpius
licitum fuerat, non modò cæmentitio, aut quadra-
to saxo, sed etiam marmoreo habere; non puto oportere
improbare quæ è lateritiâ sunt structurâ facta
edificia, dummodo rectè sint perfectâ.*

* Alij arcus, qui ab eâdem Portâ Maiori dex-
39

trorsum ad Castellum, siue Emissarium, vt vocat Grut. pag. cclxxiv., prope Fornicem Gallieni desinunt, prorsus in eadem librâ sunt, àc iam dicti Neroniani: vnde certum quoque est, reliquum Aquæ Claudiæ, (vt benè Grut. ibidem aduertit) siue etiam Anienem Nouam illi superpositam deuexisse; quæ duæ Aquæ ante Frontinum miscebantur, vt ipse ait numer. 78: & hunc, eundem esse locum post hortos Pallantianos, vnde iuxta citatum num. 28. finitis Ductuum arcubus, & per quinque (vt dicemus) ostia immensâ Aquarum copiâ ostentatâ, in vsum Urbis fistulis deducebatur; nulla enim alia Aqua (cùm hæ supremæ omnium fuerint) ad tantam altitudinem ascendere poterat. Aniene ergo ipso, gelidoque Simbriuiio frigidior remanet * coniectura recentis Scriptoris, qui ex hoc Castello (sic vocat) 40

Aquæ Marcæ, tanquam per Traianum excitato, dum illam restituit, & auxit, siue in Auentinum perduxit, (id quod tamen nusquam apud Frontinum ab ipso laudatum, sed tantum apud Angelon., pluries, & in hoc præcipuè vaniloquum ad nummum 27. Traiani, me legisse memini) Trophæa ibi olim existentia Traiano inscribit. Nam Aqua Marcia, cuius certam, & proximam altitudinem habemus in dicto ad Portam Maiorem eiusdem Riuo, XXV. & amplius pedibus Claudiâ humilior remanet, vt in supra expositâ sectione, & librâ quinque illorum Aquæductuum apparet; nec proinde in cacumen huius Castelli euadere valuit. * Hæc siquidem certitudo, mathematicis demonstrationibus explorata, Nardini 41

coniecturam lib.viii. cap.iv. pag.505, *E forse nel Castello, che ancor dura sotto i Trofei di Mario, presso S. Eusebio, i tre forami che vi si veggono al pari, diffondeuano ancor iui le medesime tre Acque (intellige Iuliam, Tepulam, Marciam) distintamente; imò indubiam assertionem lib. iv. cap.ij. pag. 161, Che iui sorga vn Castello dell'Acqua Martia, non si dubiti, vedendosene chiara la diuisione in tre capi, aliàs ex se labantem omnino destruit: labantem, inquam, quia illis tribus foraminibus à Nardino visis, alia duo ad latera addenda sunt; (tot enim illud Emissarium ostendit) quæ omnia quinque (ne alias propterea duas diuersas Aquas Nardinus ingerere opus habeat) ex vnico Specu deducebantur, distributâ, vt hic vides*



- A Specus principalis Ductus, per quem Aqua ad Emissarium deferebatur*
B Murus obiectus, ubi primùm Aqua impacta, in duos alueos

ueos se diuidebat

C *Ostium medium, per quod Aqua è plano D aliquantum descendens emittebatur.*

EE *Specus laterales, per quos Aqua portio rursus in FF. GG. binis hinc inde ostijs se deijciebat.*

erogatione, quam nemo (quòd sciam) hucusque aduertit. * Dimidio ferè minùs errauit Fabric., qui eundem Ductum, inter Portam, & Trophæa Marij à se agnitum, Iuliae Aquæ, cæteris duabus altioris, fuisse dicit; altitudinis & ipse parùm sollicitus, sed, vt alij, quod in buccam venit eructans cap. xix. de Aquæd. pag. 202. 42

Maiores momenti erit (ex communi, vt Tute iudicabis, Antiquariorum hallucinatione) definire, ad quamnam ex veteribus Aquis spectaret * Ductus ille lateritius, qui tribus ferè stadijs secundùm Viam Latinam ad læuam Romam venientibus progrediens, in angulo mœniorum magis meridionali Urbem ingreditur, supraque Fornicem, Portæ Sancti Sebastiani proximum, Viam Appiam transfilit, & versùs loca XII. Regionis, & Piscinæ publicæ tendit: nemo enim hucusque non intrepidè asseruit, Arcum illum ipsissimam esse Portam Capenam, Aquâ Appiâ desuper cadente humidam, madidamque, vt eam Poëtæ describunt. Priùs itaque debellandus iste vulgaris error; ostendendumque est, neque huc Appiam Aquam peruenisse; neque hoc loco, sed longè retrò, Urbem versùs, Portam Capenam stetisse. 43

* Et quoad Aquam Appiam attinet; res adeò absurda est, vt mirum sit, Lucam Pætum de restit. 44

Aq. Virg. in principio, aliosque insignes, & incomparabiles viros, adeò Frontini immemores fuisse, vt hanc, quæ omnium Aquarum (Alfietinâ trans Tiberim demptâ) infima erat, iuxta seriem ab eo recensitam citato num. 26., ad summum illius Cliui ascendisse putauerint, cui ipsa Virgo, longè inferior, mensurâ docente, reperitur. Nec minùs repugnat breuitas substructionis, & supra terram operis arcuati LX. pass. in totum, quod Front. num. 4. *proximè ad Portam Capenam Appiæ* tribuit, euidenti pass. CCCCL. circiter substructioni, quâ Ductus, de quo agitur, à Viâ Latinâ ad Appiam deuenit.

*
45 Quò verò ad situm veteris Portæ Capenæ, res adhuc est clarior, auctoritate Strabon. his lib. v. verbis, in quibus Latinæ ab Appiâ diuertigium extra Urbem, & proinde vltra Portam Capenam fuisse ostendit:
*Ἀρχὴ δὲ ἡ Λατίνη ἐστὶν ἀπὸ τῆς Ἀππίας, ἐν ἀριστερᾷ ἀπ' αὐτῆς ἐκτρέπει δὴν πρὸς τὴν Ρώμην, εἰς τὴν δὲ Τυσουλανῆ ὄρεος ὑπερβαῖσα, μετὰ τὸ Τυσουλῶν πόλιος καὶ τῆς Ἀλβανῆ ὄρεος, κἀπὸς ἐπ' Ἀλγιδὸν πολίχμιον, καὶ Πικτὰς ταβερνάς, Incipit Via Latina ab Appiâ; ad sinistram ab eâ prope Romam deflectens, ac super Tusculanum Montem transit, inter Tusculum Oppidum, & Montem Albanum, descenditque ad Algidum Oppidulum, & Pictas Tabernas, quæ verba adeò perspicua sunt, vt Criticorum varias lectiones, & coactos intellectus non admittant. Accedat, * quòd, cùm Plin. lib. iij. cap. v. & Dionys. lib. ix, Urbis ambitum, abruptis Collium, Aggere Tarquinij, & Fluuio terminauerint; non potest commodiùs Capenæ situs animo concipi, quàm in lineâ
 du-*

ductâ à Rupe Cœlij Montis, sub hortis Matthæijs, ad crepidines Auentini, sub Aede Diuæ Mariæ, & munimento Pauli Papæ III.

Et quia, ea veritatis prærogatiua est, vt illi omnia concinant: hinc fit, vt cuncta authorum de hâc re loquentium dicta, quæ alios in diuersa traxerunt, huic nostræ opinioni plana omnino, & facilia se se offerant. Quid enim magis conueniens, imò necessarium, quàm, ad hoc vt Aquæ Appiæ, omnium cîs Tiberim depressiori, *proximè ad Portam Capenam* transitum demus, eam à Cliuo in planitiem reducamus? Vbi nam aptius, quàm in situ per nos indicato, scilicet per fauces (vt sic dicam) Cœlij, & Cliui illius Auentino à meridie obuersi, in quo Templum S. Balbinæ erectum fuit, substructio, & opus arcuatum Aquæ Appiæ, LX. non ampliùs passuum, se ostendere potuit? Et, quod omne argumentum superat, re verâ locus, in quo Appiæ Riuum pluribus à sæculis incognitum, nouissimè, & inter hæc scribendum deteximus, (de quo mox dicam) mirum in modum cum hâc sententiâ concordat. Hoc etiam pacto * Sex. Pompeius Festus, apud quem *Lemonia Tribus à Pago Lemonio appellata est, qui est à Portâ Capenâ Viâ Latinâ*, propriè, vt celebrem Grammaticum decebat loquutus fuit, nec manum ferulæ Holstenij supponet, qui ita illum, & cum eo Ortelium in annot. arguendo reponit fol. 104. Ergo inter Appiam, & Latinam Viam fuerit, nam à Portâ Capenâ incipit Via Appia, à Latinâ autem eiusdem nominis Viâ: imò, inquam cum Festo, & in ipsâ

Viâ

Viâ Latinâ esse potuit, & non nisi à *Portâ Capenâ* adiri, non verò à *Latinâ*, cuius, nec res, nec nomen, ante productionem mœniorum Aureliani fuit. Respondet denique ad vnguem locus nostræ
 * 48 Capenæ* loco vbi reperta fuit Columna miliaria lapidis I, in Capitolium postea translata, in Vincâ scilicet Nobb. de Naris, quæ prima est ad dexteram exeuntibus à recenti *Portâ Sancti Sebastiani*; à quâ retrocedendo, in lineâ per nos ductâ mille passus explentur. Dicit aliquis, Columnam alibi forsân constitutam, ibi posterioribus sæculis transferri potuisse: sed iste physicâ suâ (vt Scholæ vocant) possibilitate ad impugnandum pro libito vtatur;
 * 49 nos morali verisimilitudine, alijs quoque argumentis suffultâ, ad sustinendum contenti erimus. Quænam ergo cœcitas mentes occupauit, vt tot Philologorum acumen Strabo tam clarè loquens effugerit? cùm ex solo veteri Iuuenalis* Scholiaste ad vers. xj. fat. iij. *substitit ad veteres arcus madidamque Capenam*, videatur concludi posse, eius tempore denominationem *Portæ Capenæ* aliorum translata, sed pristinum locum adhuc cognitum fuisse; ita enim ille, *madidam, ideo quia supra eam Aqueductus est, quem nunc appellant Arcum stillantem; primum enim vsque ibidem fuerant Portæ, quæ Porta Capena vocabatur*. Ille igitur *Arcus stillans*, Ductus Aquæ Marcie profectò extitit, qui *madidam*, longuæ ætatis vitio, Iuuenalis tempore *Capenam*, siue cum Martial. epigr. xlvij. lib. iij, *grandi guttâ pluentem* constituebat. Cur namque Fronti-
 ni

ni locum num. 4., Aquæ Appiæ substructionem, & opus arcuatum, *proximè ad Portam Capenam* indicantem, verbis ipsis, simulque naturæ loci vim adhibentes detorquent, & Aquam Appiam non *proximè*, vt Frontin. voluit, sed *supra* Capenam ducunt, præteritâ & neglectâ eiusdem Frontini de Aquâ Marcia *supra Portam Capenam* traditione? *Marcia autem, parte sui post hortos Pallantianos, in Riuum, qui vocatur Herculanæus, deijcit se per Coelium. Ductus ipfius, montis vsibus nihil vt inferior subministrans [modus, deficere videtur] initur supra Portam Capenam*: Hæc Front. num. 28, vltra cuius authoritatem, natura ipsa loci, vt dixi, & agnitus à me, vt infra ostendam, verissimus Aquæ Appiæ Ductus, illum à culmine Portæ Capenæ excludunt. Nam, vtcumque Appiæ libra tantam eleuationem, octo circiter passuum, pateretur, quot ad ascensum fornicis, Arcu recentis Portæ S. Sebastiani non maioris requirebantur; iam reliquum operis totam Vallis latitudinem occupasset, & LX. passus, quos Frontinus transmissioni Appiæ assignat, nec quater, vel quinquies sumpti suffecissent. Aquam itaque Appiam (postquam Marciam Portæ Capenæ superiniecimus) *veteribus arcubus* in imo, & sub Portâ, quæ ad latus Cœlij altiusculè, vt credimus, affurgebat, Vallem breui illâ substructione transmittentibus, deportandam dabimus; itaut, duo diuersa sint, loco quamuis valdè propinqua, *veteres* Aquæ Appiæ *arcus* (nulli enim eos vetustate antecedebant) prope Portam Capenam, & Porta ipsa,
Mar-

Marciaëque supra eam Ductus. Post hæc pro nouâ hâc mea opinione argumenta; aliud contra aduersantes (quamuis iam superabundans in tantâ rei euidentiâ reputari valeat) non omittam; recentiorem scilicet ad Portam Sancti Sebastiani Arcum, quem ineptè substituerunt, * suâ mole, firmissimâque Ductus quem sustinet incrustatione, etiam hodie sese humori impenetrabilem ostendere.

* Alter lapis in eâdem Vincâ effossus, & in hanc sententiam exculptus,

S E N A T V S
P O P V L V S Q V E
R O M A N V S
C L I V O M
M A R T I S
P E C V N I A . P V B L I C A
I N . P L A N I T I A M
R E D I G E N D V M

CVRAVIT Grut.pag.clij.7

docet, Cliuum istum in planitiem (non quidem exactam, sed leniter, vt videmus, accliuem) redactum, opere excauationis, quæ ad Portam Sancti Sebastiani conspicitur, Martis olim vocatum fuisse; ita profectò * à Templo Martis, Portæ Capenæ proximo, denominatum. Quòd si prope Portam erectum fuit, vt Seruius ad lib. 1. Aeneidos testatur, ibi, *Duo eius Tempia in Vrbe, vnum Quirini intra Urbem, quasi Custodis, & Tranquilli, aliud in Viâ Appiâ extra Urbem prope Portam, quasi Bellatoris vel Gradiui;* * siue in conspectu Portæ ad

dex-

dextram, vt Ouid. lib. vj. Fastor. cecinit,

*Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extrâ
Appositum dextræ Porta Capena Viæ;*

in imo Vallis, & antequam Clius nimum assurgeret, ex Cicerone positum conijcimus, qui ad Q. Fratrem scribens lib. iij. epist. vij, infimaque Urbis loca alluione afflictâ percurrens, Templum ipsum, vel sub eo planitiem, mirâ proluuie resperfam dicit.

Eius, quod antea præmisimus, * nullam videlicet
mentionem Portæ Latinæ, ante Aureliani tempora, 54
reperiri, veteres omnes Authores testes damus.
Quicumque enim ex recentioribus, vetera narrantes,
huius Portæ, tempore, quo nondum extabat,
meminerunt; per prolepsim, & vt locum verum, tunc
extra Portam Capenam Viâ Latinâ, immutatâ iam,
eo quo scripserant æuo, loci facie, euentius explicarent,
per prolepsim, inquam, loquuti sunt: sicque, præ cæteris, * historia immiissionis B. Ioannis
Euangelistæ in feruentis olei dolium ante Portam 55
Latinam, Martyrologio veteri inserta a. d. prid. non.
Maij, & si qui alij de hoc mirabili factò testati
sunt, veniunt intelligendi; eò magis, quia passim
supplicia * extra Portas, & in celebrioribus. Vijs 56
infligebantur. * Prochorus etenim Diuo Ioanni
contemporaneus, per quem, referente, & approban- 57
te P. Aring. in Rom. Subter. lib. iv. cap. vj. num. 1,
*passio Ioannis ante Portam, & dedicatio Ecclesiæ
per fideles, qui illic aderant*, enarratur, fuit quidem vnus ex vij. Diaconibus, qui gesta Marty-

rum in integrum colligerent; *sed cui historia illa, & Vita Sancti Ioannis Apostoli falsò ascribitur, est enim apocrypha, & fabulosa, ut in Serie Authorum tom. ij. par. j. Biblioth. max. SS. Patr. præmissâ, ex censurâ Ioannis Brassichellenfis Sac. Pal. Apostolici Magistri adnotatur. Similem prorsus huic libro notam inussit Card. Bellarm. (quem iustissimo titulo Vindicem, & Tutorem Ecclesiæ Lipsius nominat) de Script. Eccl. : motus præsertim, quia, incredibile sibi videtur, à fidelibus, qui illuc aderant, Ecclesiam in eius honorem fuisse constructam; qui enim id auderent (ait ille) in oculis seuientis Domitiani? Vnde miror, Aringum supposititij scriptoris authoritatem adducere, ut Portæ Latinæ existentiam, tempore D. Ioannis, sub Domitiano Imp. à se creditam, adstruat; & quod alij anticipatione vsi optimè tradiderunt, per anachronismum corrumpere.*

Retrusâ igitur infra biuium Viæ Latinæ Capenâ Portâ, & Aquæ Appiæ substructione, & opere arcuato; eò maior adhuc labor nos manet, in nomine Aquæ, & Arcus ad recentem Portam stabiliendo, quò in rebus id genus, ipsâ vetustate incertis, & obscuris, aliena oppugnare, quàm sua probare, faciliùs semper visum fuit. * Specus iste, non vno indicio, idem, puto, erat, àc is, qui à Front. num. 29. *Octavianus* vocatur, partemque Anionis Veteris recipiebat, ut his verbis continetur, *Anio Vetus citra iv. milliarium intrano. . . Viæ, quâ à Latinâ in Lauicanam itur, arcus traicit; & ipse Piscinam habet;*

bet; indè, intra II. milliarium, partem dat in Specum, qui vocatur Octavianus, & peruenit in Regionem Viæ Nouæ ad hortos Asinianos, vnde per illum tractum distribuitur. Rectus verò Ductus, secundum Spem Veterem veniens, intrà Portam Esquilinam in altos Riuos per Urbem deducitur. Plura siquidem ad hanc opinionem roborandam concurrunt. Primum, ac præcipuum indicium est * altitudinis series Anioni Veteri propriè conueniens, sextus scilicet libræ locus, inter Marciam, & Virginem medius, vt Front. num. 26. suprâ relatus aperuit. Alterum non leue præbet, * deriuatio, ac iter huius Ductus, descripto per Frontinum simile. Nam circa ij. prorsus milliare ab Vrbe, repertus fuit hic Specus ad Læuam Latinæ Româ exeuntibus, loco in Charta num. 19. signato, à quo rursus ad læuam deflectendo versùs Labicanam Viam, quam respiciebat, & Monumentum Alexandri, (prope quod * vestigia Diuerticuli à Latinâ in Labicanam, cuius Front. meminit, existunt) rectum, & integrum Ductum à quo dimanauerat, ostendere potuit. Tantâ enim circuitione, altiores Claudiæ, * & Anionis Noui illi superpositi Aquæ non indiguissent, quæ per Arcus Cœlimontanos, ex Frontin. num. 74. ad hanc Primam Regionem per decliue ferebantur; ad quam, etiam * Marcia, siue ea pars illius, quam Riuum Herculaneum num. 28. Front. appellat, *deijciebat se per Cœlium*, vt mox vidimus. Situs quoque * Viæ Nouæ, & hortorum Asinianorum in eâdem xij. Regione, in quâ Thermæ Antoninianæ, quas Ductus petere videtur, ostendit hunc fuisse

Specum Octavianum, ex eodem termino, quem Frontinus Aquæ Anionis per eum delatæ distributioni designat.


- *
65 * Crustam denique (ne vllum argumenti genus inexploratum relinqueremus) cum aliâ, quæ ex Anienis Nouæ Specu diuulsa est, contulimus: & vt ex eodemmet flumine Aquæ vtriusque Anienis, iuxta Front. num. 77. & 78. petebantur; ita, ad proportionem tamen distantie, quâ deriuabantur, hanc illi similem inuenimus, & Academiae experimentalis, (sic vocant) quam Illustriss. D. * Ioannes Ciampinus magnanimo fanè, laudandoque conatu nuper in Aedibus suis aperuit, rem examinandam detulimus; vt ex Spagiricæ quoque artis documentis coniecturæ hæ nostræ fulcirentur. Mirum certè, simulque periucundum in hâc comparatione accidit, *
66 * varietatem crustæ in vno eodemque Riua Anionis Noui reperiisse; ea enim quæ antiquior signino adhæret, tempore scilicet, quo primùm ex ipso flumine Aqua deducebatur efformata, turbidi coloris erat, *vt flumen ipsum, quamuis purissimo defluens lacu, mobilibus tamen cedentibus ripis, aufert aliquid quo turbetur:* (sic Front. num. 77.) quæ verò nouissimè superinducta fuit, *postquam Anionis Noui vitia Nerua Cæsar excludi posse vidit, & omisso flumine repeti ex lacu, ubi limpidissima est, iussit,* (vt per eundem Front. num. 80.) recentiorem corticem puriorem, atque albentiolem effecit: & ita ex effectu, veritas narrationis Frontini confirmata ostenditur. Ratio distantie, vt obiter tetigi, xxij. M. pass. inter vtriusque
que

que Ductus initium, (Vetus enim à milliario xx. ex Front.numi. 7, Nouus à milliario xlij. ex eodem, num. 22. excipiebatur) in causâ fuit, vt illius crusta, obscurior quidem, sed eiusdem cum alterâ substantiæ videatur; prout magis turbidam aduenisse Aquam longè infrâ deductam, pluribusque adiacentibus cultis, necesse erat.

Et certè, non nisi huius * Specus Octauiani continuitas esse potuit, Ductus ille, quem nuper à Fossoribus detectum vidimus in Lapidinâ Vineæ Benedicti Sanctoriij, ad angulum Viæ, quæ à caueâ Circi ad Portam Ostiensem procedit, cum alio Viatrio, per quod læuorsum ad S. Balbinæ Martyris Aedem itur; vbi, & Marciaë Riuus, quem supra Portam Capenam ex Frontino transiuisse ostendimus, vj. circiter pedum altiori librâ alium hoc pacto interfecat.

* 68

A B. Ductus Anionis Veteris, ex parte A Arcum Drusi per Eurum grad. xij. versus Austrum; ex B latus orientale Auentini è diametro respiciens




C D. Ductus Marciaë, ex parte C rupem meridionalem Cælij, & locum, quem Porta Capenæ assignauimus, per Solanum grad. vij. versus Eurum; ex D medium Auentinum (vbi rursus è regione Templi Sanctæ Priscæ subterraneus visitur) è diametro spectans.

Sub hisce duobus Ductibus, (vt hîc Aquarum concursus fiebat, eo pacto, quo ad Spem Veterem, siue apud recentem Portam Maiorem, Marciam, antequam

quam *per Caelium se deijceret*, cum alijs iv. altioribus coësse vidimus)* alium infimè latentem nuperri-
 69 * mè Fossor quidam monstrauit, & me difficulter sanè humi repentem ad illum perduxit: quo viso, rei diu quæsitæ nouitas, omnem lassitudinem, locique horrorem ex corpore, animoque exegit. Nam, hunc esse Riuum Aquæ Appiæ, Romanæ prouidentia, magnitudinisque primitias, mihi certò persuasi, Tibique probare studebo. Libra eius, atque, vt Frontin. vocat, pressura minimè abnuit; quia omnium cîs Tiberim hanc Aquam humillimam (vt Frontin. de eâ num. 26. ait) ex comparatione ad proximos Ductus Marciæ, & Anionis cognoui; totis enim xxviii. pedibus sub Anione Vetere excurrerat, quantum præ loci angustia, & repetitâ per cauernam operatione, deprehendere potui. Suo item hucusque decursu, situm quem Capenæ Portæ dedimus, & *veteres* prope eam *arcus* indicare cum Marciâ videtur: antrorsus verò ad Auentinum flectitur, & post L. circiter passus, rursus ad dexteram vergit, ac suo aspectu locum vbi ex Front. emergebat, nempe Salinas, & Portam Trigeminam, vt num. 4., seu Cliuum Publicij, vt nu. 29. designat. Nec deficit potissimum ex Front. indicium, hoc est, eadem, àc ille in Appia num. 50. describit, latitudinis, & altitudinis mensura. Quamuis enim Specus iste, vt plurimum, ab aliorum formâ recedat, lateribus gradatim sese ampliantibus; (id quod in nullo alio Aquæductu animaduerti, & Agrippâ hunc, aliosque penè delapsos restituente, ex Front. num. 15, factum puto) vbi tamen vlteriùs LXX. circiter passus
 pro-

progrediare, latera directâ, & parallela, pede vno & dodrante, iuxta Frontinum, inter se distantia, altitudinemque, signino dempto, pedum v. & semis reperiens; hoc est ipforum pedum v. Frontini supra signinum, quod crassitudinem semipedalem communiter in fundo Ductuum obtinere solet. Præter quæ omnia, maiestas operis, simplicitate, simulque venustâ, & inaffectatâ firmitate compositi, sæculum Appij, & crescentem iamiam publicorum ædificiorum splendorem, & magnificentiam ad viuum ostendit. Accedit, ad vetustissimam Riui structuram ipso aspectu dijudicandam, crassissima circumquaque crustæ nigricantis coagmentatio, intus lapidosa, & solida, in superficie autem spongiosa quodammodo, & cincinnata; eius propemodum figuræ, ac lapis ille, ex Tiburte agro Romam aduectus, quo frequentissimè ornamenti causâ, ad rusticos fontes in Vrbanis hortis imitandos, lautiores isti vti solent. At rem ipsam melius, imagine, & explicatione percipe.

ABCD. Amplitudo, & forma Speluncæ, ad construendum in eâ Aquæductû in ipsâ rupe excauata
Altitudo CA est ped. v. & semis. Latitudo CD altitudini equalis
Fornix minimùm, & vix semipede attollitur; nec lateribus Ductus innitur, sed vi sua stat
EF. GH. Latera ex lapide



pide Albano, quibus Riuus arctabatur

Latitudo E F est ped. i. unc. iij


Latitudo G H est ped. ij. unc. x.

Specus nostri Octauiani, cuius penè obliiti videbatur, & Fornicis sub eo ad Viam Appiam, & Cliuum Martis, authorem ignorasse, nihil assumptæ tractationi detrahit: sed tamen, eatenus inuestigabimus, quatenus opinioni propositæ fauere videatur, si hunc esse * Arcum suadeamus, quem Senatu discernente (ex Suet. in Claud. cap. i.) Augustus in honorem Drusi priuigni (an potius filij ?) statuit. Quiritatur certè more suo * Ligor. in Paradox., hunc non esse Arcum triumphalem, sed Castellum Aquæ: (eâ licentiâ, quâ, Castellum, quod in iure nostro receptaculum sonat, l. i. §. æstatem D. de aq. quotid. & æst. vocauit in eodem opusculo Arcum ad Portam Sancti Laurentij, vbi pariter simplices trium Aquarum Riuui, nec magis quàm hinc Castelli umbra) atamen nos tam fidem, quàm criterium hominis huius spernimus, & eo quamuis oblatrante, ad rei examen progredimur.

* Maxima inter nummum huius Arcus Drusiani, & ipsius reliquias similitudo, primum coniecturæ fundamentum præbet, vt ex subiecto vtriusque schemate conferre poteris.

C. *Specus Aqueductus ad recentem Portam S. Sebastiani, quem Octavianum esse credimus, latus ped. ij. & semis; altus vsque ad curuaturam Fornicis ped. v. Fornix ipse ped. i. unc. ij. Latera hinc indè crassa ped. ij. unc. x.*

Præ-




4

Præterea,* nomen Specus Octauiani, quo Ductum
 73 huic Arcui superpositum notauimus, nonnè ab Octa-
 uio Augusto deriuatum videtur? qui, dum *RIVOS*
AQVAVM OMNIVM, (vt in epigraphe ad
 Arcum Aquæ Marcæ, siue recentis Portæ Sancti Lau-
 rentij, quem paullò infrà exhibebimus, expressum est)
 siue, vt in marmore Ancyrano apud Grut. pag. ccxxxij.
RIVOS AQVAVM COMPLVRIBVS LO-
CIS VETVSTATE LABENTES REFECIT,
 hunc etiam, in depressione Clui Martis abruptum,
 refecisse, ei que nomen suum reliquisse potuit: quia
 præsertim, verba illa, *CLIVOM*, & *PLANITIAM*,
 eius tempora redolent; (bis enim Vitruuius Augu-
 sto *ὀψιγενῶς* ita hoc secundum effert eodem cap. xij.
 lib. v.) & sæpè in Augusti nummis, *DIVOS IV-*
LIVS, simili licentiâ leges. Est siquidem plus-
 quam verisimile, Cluium, impediēte Ductu, leni-
 tum fuisse, quò Fornix triumphalis sub ipso Specu
 erigi posset; & ex* tribus ad eam Viam Arcubus,
 74 Deusi, Traiani, & Veri, quot Victor, & Notitia
 computant, Augustum, qui alios præcessit, situm
 sublimiorem elegisse. Quandoquidem, nonnulla præ-
 cipua ostendit hic Fornix, quamuis semesis iam mem-
 bris, & terrâ obrutus, per quæ ab alijs optimè di-
 stinguatur; vt sunt primò,* tympanum, & fastigium
 75 paullò vltra Portæ latitudinem expansum, in quo
 Augusti tempora, eundem que conditorem refert, qui
 haud absimilia ornamenta huic suo* apud Ariminum
 76 Arcui affixit, cum eadem fastigij angustia, quam poste-
 rior ætas, siue Vitruuius superueniens emendauit.

Pro-

LOS SEP. DESIGNAT. OCTAV
LEBERRIMIS. ITALIAE. VIEIS




Prospetus Arcus Augusti apud Ariminum, prout hodie, multâ sui parte licet obrutus, cernitur. Hunc in refectioe Viæ Flaminie, quam procuravit Augustus, dum reliquas Patribus quibusdam, proprijs sumptibus, reficiendas mandavit, extractum fuisse, certissimâ coniecturâ monstrat fragmentum inscriptionis sub vij. eos. & vij. designatione: hoc enim ipso tempore factum recenset Dio lib. liij: quo etiam anno, AVGVSTVS hoc titulo à Senatu, & Populo insignitus est; quem, in hoc monumento primitus forsan assumptum,

(Damnosa quid non imminuit dies?)

cum integrâ epigraphæ desideramus.

* Neutrum enim ex hisce Arcubus à Vitruvio collocatum asseruerim, quia vterque ab ipsius præscriptis recedit; Romanus scilicet, dum in eo, corona super epistylis immediatè quiescit, cum Vitru. lib. iij. cap. iij. zophorum inter hæc duo membra medium constituat; Ariminensis autem, quia habet denticulos sub mutilis, non solum in coronâ, verum etiam in fastigio, ubi coronam puram esse debere statuit, Græcorum exemplo, & rationibus ex ipsâ naturâ petitis cap. ij. lib. iv: & quia denique, fastigium, Ariminensis præsertim, longè supra ipsius modum eleuatum conspicitur; ubi enim Vitruuius dat tympano talem altitudinem, quæ sit nona portio longitudinis coronæ ab extremis cymatijs, hinc, tympanum in sui cacumine, habet quartam integram longitudinis coronæ partem. * Quæ tympani portio, quamuis pressior visa fuerit Philandro, in aureo suo ad Vitruu. Commentario, loco per nos significato, ubi eam facillimâ praxi emendauit; opti-

mo certè exemplo non destituitur, in suprâ memorato Arcu recentis Portæ Sancti Laurentij, olim ad Viam Collatinam; quem præcipuè huius rei ostendendæ gratiâ, prout supra terram apparet, hic inserimus:



- A. A Ichnographia pilarum huius arcus
 B. B Anguli consimiles, recto minores, graduum scilicet 77
 C. C Alij recto maiores, gr. 103, obliquationi Viae Collatinae

na sese conformantes

D *Specus Iuliae*

E *Specus Tepulae humilior quàm alibi, sed capacitas suppleta per ampliacionem in latum*

F *Specus Marciae*

G *Locus inscriptionis Antonini Caracallae, complanatis lapidibus incisa, supra num. 30. exposita*

H. *Locus inscriptionis Titi Caesaris, supra eodem num. 30. exposita.*

monentes tamen, fastigium, & coronam, abrafa quidem esse, quò posteriori inscriptioni Caracallæ campum patefacerent, ita tamen, vt certissima lapidum complanatorum vestigia reliqua sint. Cùm enim Titus Vespasianus, ne ornatum deturbaret, fascias sub coronâ prior inscripserit; Antoninus spatium reliquum occupauit, & medium, quamuis per Arcus iniuriam, se intrusit.

Distinguunt quoque hunc triumphalem Drusi Fornicem ab alijs, nostroque nummo assimilem faciunt, * fenestræ laterales, quarum vestigium in latere D. conspicitur, recurrente circumcirca eadem coronâ E: quod forsan Aeneam Vicum, & Octauium Stradam decepit, & ad geminos hinc inde minores arcus excogitandos induxit, quibus nec locus esse potuit, in angustia pedum xxiv. & semis, quot ex B ad A, vbi arcus lateritij huius Aquæductus ex hac parte finiuntur, intersunt. Nummi nostri fidem sanciant schedæ Cl. viri * Francisci Gottifredi, magni illius, & fidelissimi rei nummariae Promicondi; benignè exemplar suggerente, oculorum *
 79
 80
 81
 lumine capto, sed animi lynceo * Francisco Camelo

nostro, quem honoris, & amicitiae causâ nomino.

Libet nunc aliquantùm digredi, & hunc nummum, simulque historiam de Nerone Druso in aliquo sup- plere, ex alio perfectè integro, & distincto, quem in Museo Septalio extare significavit nobiliss. vir Fran- ciscus * Comes Mezabarba Biragus, cum cape- dunculâ intrâ tympanum, duobus vtrinque ad la- tus eius lituis, & versùs extrema, sed eâdem al- titudine, paterâ ad dextram, ad sinistram verò, vr- ceolo insculptis; eo propemodum ordine distribu- tis, quo in Tabulâ xcvi. Oiselij subobscurè hæc in- strumenta expressa videmus. * Hinc igitur Augurem fuisse Drusum ex lituo (*quod clarissimum insigne Auguratus vocat* Cicer. de Diuin. lib. i.) apparet; quamvis historia, de hoc eiusdem honore minimè loquatur, sed Dio, (apud quem lib. liv. plura de Druso) atque Sueton. in Claud. cap. i, Quæsturam, Præturam Urbanam, Triumphales honores, Oua- tionem, Consulatum, & Proconsulare imperium tantummodo referant.

Eo tamen quia nummus, quem cum Arcu Drusi retulimus, à Ti. Claudio Cæsare eius filio cusus cer- nitur; non ideo * Angelonio assentior, qui ad num- mum ix. pag. 46. Arcum ab ipso Claudio erectum, ornatumque asserit: Nam ultra nostras de Augu- sto authore, quas supra expendimus, coniecturas; Dio lib. lv. tamquam de re, tempore Augusti ne dum decretâ, verùm etiam perfectâ loqui videtur.

καὶ ὁ ὡς ἐς τὸ Ἀρμον πεδῖον καὶ τῆς ἰσπέων, τῆς τε ἐς τὴν ἰσπά-
δα ἀκρεβῶς τῆσιν, καὶ τῆς ἐκ τῆς Βουλᾶπικῆς ἡρώεις ὄντων,

ὡς-

*ῥώθῃ. καὶ ταῦτα πρὸς τοὺς, ἐς τὸ τῆς Αὐγούστου μνημῆον κατα-
 τέθη. Γερμανικός τε μὲν τῶν παίδων ἐπονομασθεὶς, καὶ πρῶτος καὶ εὐό-
 νος καὶ ἀψιδος, κροτάφῃς τε πρὸς αὐτὰ τῶν Πλούτῳ λαβῶν.
 Et ipse quidem [Drusus] in Martium Campum, ab
 Equitibus equestrem ordinem exactè seruantibus,
 Et ab ijs, qui erant è genere Senatorio, deductus
 fuit. Et hic igni datus, in Augusti monumentum
 depositus fuit. Germanicusque cum filijs cognomi-
 natus est, Et honores tam statuæ, quàm Arcus, cœ-
 notaphijque prope ipsum Rhenum accepit. Nec
 credibile est, Augustum, qui honora, Et magnifica in
 Drusum fecit, vt Tacitus monumentis suorum An-
 naliū lib. iij. mandauit, Et tantopere (vt cum Sue-
 tonio loquar) Et viuū dilexit, vt coheredem sem-
 per filijs instituerit, Et defunctū pro concione lau-
 dauerit; nec contentus elogium tumulo eius, ver-
 sibus à se compositis, insculpsisse, etiam vite memo-
 riam prosâ oratione composuit, honorem Arcus, sta-
 tim post eius obitum decretum, per xxij. annos, qui-
 bus priuigno superuixit, neglexisse, & tamdiu effe-
 ctu vacuum reliquisse: vrgente præsertim Liuiâ vxo-
 re, quæ in acerbissimo, maximoque filij luctu, quo
 sibi ferè vitam exhaustit, vt Peto Albinouanus his
 versibus testatur,*

*Vix etiam fuerat paucas vitalis ad horas,
 Obtulit inuitæ cū sibi Cæsar opem;
 Admouitque preces, Et ius immiscuit illis,
 Aridaque effusâ guttura tinxit aquâ,
 supremum hunc filio honorem, sibi que solatium
 differri minimè passa fuisset.*

Hunc

* Hunc insuper Arcum ad Viam Appiam minimè (vt Andreas Fuluius credit) ad Traianum spectasse, nummi eius apertè ostendunt, qui Arcum triplicis Fornicis, & non vnius tantum, qualis iste, exhibent. 85

Ad Lucium Verum excludendum, quem in hâc eâdem Regione, vt diximus, Arcum habuisse scimus, non ita promptas, vt in Traiano, rationes habemus, cum nummi eius cum suo Arcu nulli extant: nihilominus, ex tot argumentis, per quæ Augustum huius Fornicis authorem fecimus, alium hinc amouebimus, postquam locum Drusiano Arcui, satis, nî fallor, sub hoc Aquæductu, & in summo huius Cliui Martis asseruimus.

Hæc tamen omnia, aliàs forsan scitu non inutilia, ad terminos nostræ quæstionis ex abundantia dicta videbuntur: quia quidquid de huius Specus Octauiani nomine dubitari possit; illud (quod nobis sufficit) extra omnem dubietatis aleam esto, * eius Aquam ad Thermas Alexandri, aduerso flumine, & contra ipsius soli genium, & vergentiam, suo, vt mox dicemus, Nymphæo longè relicto, tam procul retrahi nullatenus potuisse. 86

Vnde tota quæstio in id recidit, * An Ianiculensem, quam Traianam fuisse dicemus, Aquam, An verò hanc, quam, ex agro in quo oritur, Labicanam vocabimus, Alexander in Urbem inuexerit. In quo, memineris velim, pluries nos vtramque inscriptionem, alteram super præcipuo Fonte in Ianiculo, alteram in Arcu ad Viam Aureliam sub hortis Pam- 87

88 philijs, in quibus * AQVA hæc, ALSIETINA nuncupatur, eiusque Ductus, ab Augusto Cæsare extracti dicuntur, non sine stomacho perlegisse: quî enim Alsietina ex Frontino num. 26. omnibus humilior, & quæ non nisi cccvij. passus operis arcuati, nîl autem substructionis supra terram habuit, vt num. 17; diuersamque, à Lacu sui nominis originem sortita est; cum hâc, quæ vel superiorem, vel æqualem ipsi Marcix libram obtinet, prope Lacum Sabaten in varijs venis caput agnoscit, & circa Urbem (vt longinqua missa faciam) per ij. pass. M. operis arcuati & substructionis defertur, nisi per summam oscitan-tiam confundi poterat? Si igitur constare fecerimus, Ianiculensem * Aquam non posse Alexandrum in
89 perductorem admittere, nostra proinde hæc Labicana sola remanebit, quæ ad ipsum pertinuisse dicenda sit.

Id primò sola probabilitas penè nos credere compellit: cum ab omni verosimili alienum sit, ad Thermarum Alexandri cîs Tiberim vsus, Aquam trans-tiberinam deducere, quemquam cogitasse. Præfer-tim, cum reperiamus ex Victore, * Nymphæum Ale-xandri in Regione v. Esquilinâ extitisse, nempe in ipso huius Aquæ recto à suâ Formâ ad Thermas itinere: cuius, & * Piscinæ Limariæ vestigia se ob-
90 seruasse apud Templum Sanctæ Crucis in Hieru-salem, vbi hanc inscriptionem reperit, scribit Li-gorius, forsan (vt de Turpino Ariostus iocatur) *ve-race in questo loco*; quia inscriptio nîl spurium respicit, vt pleraque hominis illius:

HERCVLI. CONSERVATORI

INVICTO. COMITI

D. N. SEVERI. ALEXANDRI

PII. VICTORIS. SEMPER

AVG. AC. OPTIMI. PRINCIPIS

M. AVRELIVS. PRISCILLIANVS

V. C. CVRATOR. LYMPHAEI

DEVOT. NVM. M. Q. E

qui ad summum, vt morem retineat, potuit Piscinam de suo addere, cùm nos alibi eam statuamus, & ostendamus, & duplicem fuisse vix credimus.

Addam, nec meo periculo, quia satis idoneum huius sententiæ propugnatores habeo, Ianiculensem Aquam eò minùs posse absque alicuius ex veteribus testimonio Alexandrinam vocari; quia veriùs, eadem cum * Traianâ fuit. Ita agnoscit P. Aring. in Rom. Subterr. tom. 1. lib. ij. cap. xij. num. 6. fol. 344. ex Actis præcipuè Martyrij S. Antonini, eadem horâ ⁹² iussit Vitellius Antoninum capitis subire sententiam, qui ductus Viâ Aureliâ iuxta Formam Traianam decollatus est xi. Kalendas Septembris: probantque enunciata, quæ apud Nardin. lib. viij. cap. iv. alibi que extant, vetustissimi Codicis Actorum Sancti Iulij, in quibus describitur Forma Traiana iuxta Viam Aureliam, & Instrumenti Donationis Caroli Magni, vbi pro confinio cuiusdam fundi datur, Forma Traiana usque in Portâ Aureliâ. Idemque eruitur ex sequenti loco, licet parùm correcto, Anastasij Biblioth. in vitâ Honorij, Eodem tempore fecit Basilicam B. Pancratii Martyri Viâ Aureliâ mill. ij. à so-

lo, &c. & ibi constituit mola in murum Ciuitatis, & Formam quæ deducit Aquam in Lacum Sabinum.

Neque tanti apud nos est Ligorij auctoritas, vt Aureliæ nomen, Viæ isti, quæ à Portâ Pancratiannâ, imò ab ipso Ponte Sublicio per indubia vestigia, cum aliâ, quam Ligor. veram Aureliam esse non denegat, recto tramite continuatur, ex eius sententiâ auferri debeat. Vnicus siquidem Procopij locus, quem ipse nobis obtrudit, histor. Gothic. lib. j. cap. xix. διὸ δὴ ἄλλως δύο τῆς πόλεως πύλας ἐνοχλεῖσθαι πρὸς τῶν πολεμίων ζυβῆσαι, τὴν τε Αὐρηλίαν (ἢ νῦν Πέτρον τὴν Χρυσῆν Ἀποστόλων κορυφαίαν, ἀπὸ τοῦ πλησίον κρήνης, ἐπὶ οὐμός ἐστι) ἔτι καὶ τὴν πρὸς τὸν ποταμὸν Τίβριον. Vnde accidit, vt due alie Portæ Urbis, infestæ ab hostibus essent; Aurelia scilicet, (quæ nunc Petri Apostolorum Christi Principis, tamquam propè iacentis sita vocatur) & altera trans flumen Tiberim, ex quo * Portam Aureliam prope molem Hadriani fuisse probatur; vnde propterea Viam huius nominis deducit, & alibi fuisse pernegat: vel non tollit, quominus etiam Portâ ad Ianiculum Aurelia vocaretur; quia ita loquitur, & intelligi debet, quasi ex duabus eiusdem nominis, altera Sancti Petri, altera Sancti Pancratij, à propinquitate vtriusque Templi, ad distinctionem, appellari consueuerit: * vel etiam accipiendus est de Viâ Aureliâ nouâ; (cum tam nouam, quàm veterem agnoscamus ex inscriptione apud Grut. pag. cccclvij. 6.) ne hanc veterem, cuius nomen ante alterius incidentiam tot illustria documen-

ta retinent, aboleamus. Ultra enim sacras prisco-
 rum Christianorum memorias, quæ Ecclesiam Bea-
 ti Pancratij, in viciniâ Urbis, Formæque proximam,
 in Viâ Aureliâ ponunt, quæ Ligorij Aurelia esse non
 potest; non alium vetustis temporibus, & ante noua
 mœnia Aureliani, fuisse huius antiquissimæ Viæ
 ductum, quàm iam dictum, à Sublicio Ponte per
 summum Ianiculum, vbi nunc Porta (siue Aurelia,
 siue Pancratiana ea postea vocata sit) conspicitur,
 dubitari nequit. Quia enim tunc ab Vrbe non nisi
 per Pontem Sublicium exitus ad Ianiculum patebat;
 dum hinc rectum, tritumque in Etruriam Mariti-
 mam iter conspicimus, vt * excauatio, & sepulchra-
 lia hinc indè monumenta, inter Villam Marchionis 95
 de Nobilibus, & Cœnobium Sancti Petri in Monte
 Aureo, & nouissima Viæ silice stratae, exinde ver-
 sus Ecclesiam Monialium SS. Cosmatis & Damiani,
 ipsumque Sublicium tendentis detectio apertè do-
 cent: quid quæso absurdius, quàm per Pontem
 (qui nondum extabat) agrumque Vaticanum, per-
 que sinuosos, more Mæandri, circuitus, Viam Aure-
 liam veterem, ac primitiuam concipere; & ibi fuisse,
 inficiari, vbi recta ratio, addam, * & veterum Scripto-
 rum authoritas, eam collocant? Liuius enim, Viam 96
 quæ à Sublicio ad Ianiculum, & deinceps ad Urbem
 Cære tendit, (quæ nostra Aurelia est) à Vestalibus
 in fugâ, post captam à Gallis Urbem, calcatam osten-
 dit lib. v. versus finem, vbi L. Albinij de plebe ho-
 minis meminit, qui illas, & Romana sacra plaustro
 imposuit, vxore, ac pueris descendere iussis: de quo
 certè

* certe factò intelligendum putauerim * sequens lapidis
 97 quantius pretij fragmentum, pauimento superioris,
 & subdialis ambulationis circà hemisphærium Pan-
 theonis postea insertum, quod, & rem, & tempus
 (cùm scilicet Galli Româ captâ *Capitolium inua-*
derent)

ADERENT. CAPITOLIV. .
 STALES. CAERE. DEDVXIT
 QVE. RITVS. SOLLEMNES. NE
 RENTVR. CVRAI. SIBI. HABVIT
 ERATA. SACRA. ET. VIRGINES
 XII

est apud Grut. pag. ccccxcij. 7.

sed pessimè excepta.

ita designat, vt minimè dubium sit, quin in me-
 moriam, & encomium tantæ pietatis fuerit inscul-
 ptum.

* Hæc ita certa reputo, vt nec placeat * Aringhi
 98 temperamentum, quo & opinioni Ligorij detulit, &
 Viam Aureliam ferè à Pancratiânâ Portâ emisit;
 dum aliam Viam, quam Ligor. ab Aureliâ Procopij
 Portâ initium sumere tradidit, per Suburbium For-
 nacium, sub Vrbiæ mœnibus deducit; & veteri no-
 stræ Aureliæ ad biuium S. Pancratij vnit. Quia, hâc
 incongruâ obliquatione, peius malo remedium alla-
 tum est; & ipse Ligorius vehementiùs adhuc dissen-
 taret, quem nec ad eò Vrbi propinquam, nec ad eò
 violenter retortam Viæ incidentiam cogitasse suspi-
 cor; sed rationabiliùs (vt in aliquo homini laborio-
 so faueamus) * suam Aureliam rectâ ad Tabernam
 99 *del Pidocchio* perduxisse, & vel hinc ad læuam per

Via-

Viatrum, cuius portio filice strata visitur inter Vineam Carpineam, & Castellum Aquæ Paulæ in Vineâ Buranâ; vel adhuc congruentiùs,* per vestigia veteris Viæ, quæ relicta Corneliâ ad dexteram, per Fundum *di Porcareccino* versùs Fundum *della Bottacchia* tendit, ibi veteri Aureliæ Viæ iunxisse. Sed hæc plenius in nostro *de Agro Suburbano* opere, *ou' de'* enucleabimus.

Sic itaque, restitutâ aduersùs Ligorium veteri, veriorique Viâ Aureliâ ad latus Formæ Traianæ, cui per duo ferè milliaria applicita est; tam Alexandro, quàm * Traiano suis cuique redditur Aquæductus, nam &, hunc præter iam allatas recentiorum Scriptorum authoritates, constat Aquam deriuasse, ex * nummo ex S. C. publicè in rei gestæ honorem cuso, & ob Numen Fontis appositum, ad Aquam ex Fonte haustam, non ex alijs Ductibus subtractam, referendo. Nummum probè* exceptum, sed pessimè interpretatum, vide apud Angelon. num. 27; qui perfractè, & tamquam Frontino affirmante, ait, *che Traiano, dalla Via Valeria, per lo tratto di 23. miglia, condusse l'Acqua Martia nell' Auentino*, atque hoc nummo demonstrari concludit; id quod alios eius sequaces, plus τὸ, ἀπὸ τῆς ἕτης, quàm Frontino, & veritati credulos, seduxisse vidimus, & suprâ num. 40. adnotauimus; nouissimè vero Iacob. Oiselim in partes traxit ad numm. viij. Tab. cvij. sui Thesauri, hoc anno editi.

Non contemnendo etiam indicio est, Aquam in gratiam dictarum Thermarum fuisse deductam: quia, si quis alius, in communem, & solitum Aquarum
vsum

*
 104 vsum id instituisset ; * potuisset fanè longè vtiliùs , ad
 eandem libram , à postea Sixtus Pontifex fecit , attol-
 lere , hoc est xij. & semis supra Marciam pedibus , quo-
 tis Aqua Sixtina ad Portam Maiorem Marcie Ductum
 ibi proximum superare deprehenditur ; & vltè-
 riùs , alios ped. xlj. & semis , quibus Marcia Ductum
 Alexandrinum excedit , vt mensura à primis arcibus
 in Chartâ num. 2. notatis , ad arcus Aquæ Marcie , ibi
 proximos , inita demonstrat . Quia enim humilis erat
 Thermarum locus , ideo Alexander , ad illas tantùm
 respiciens , commodum altioris directuræ neglexit ,
 & pedibus liij. Aquam suam depressit . Tantam
 enim libræ varietatem , non ex imperitiâ , sed ex in-
 dustriâ ortum habuisse , nemo non dixerit .

*
 105 Quomodo autem * Frontinus Traiano contem-
 poraneus , & sub eo Aquarum Curator , in suo libello
 de Aquæduct. de hoc præstantissimo Traiani sui opere
 filere potuerit ; ex præfatione eiusdem libelli clarè
 colligitur : quandoquidem scriptio Frontini conti-
 git in ipso initio iniuncti sibi muneris , & viuente
 adhuc Neruâ , cui opus nuncupauit : deductio autem
 Aquæ , ex dicto numismate , Traiano quintùm , vel
 quinquies Consule , hoc est , post quintum saltem Im-
 perij illius annum processit .

*
 106 Si verò obijcias , * nimis à me restringi nume-
 rum Aquarum , contra expressam veterum Authorum
 sententiam ; cum Victor xx , (siue etiam xxiiij. iuxta
 aliquos Codices) Notitia verò Imperij xix. nomi-
 nent ; & , vt minùs , Procop. xiiij. difertè pronunciet
 lib. j. cap. xix. de Bell. Gotthic. Respondebo , me non
 nimi-

nimiùm morari Victorem, & Notitiam, dum non
 Ductus, sed Aquas referunt, * quarum plures in
 vnicum Specum corriuari potuerunt, vt Frontinus 107
 ipse in Augustâ, Albulino, & Herculano Fontibus,
 & inscriptio Portæ recentis Tiburtinæ in Antoni-
 niano testantur: Procopium verò, qui de Aquædu-
 ctibus loquitur, aliàs mecum sentire probabo, & no-
 ua quædam ad eius illustrationem afferam, si tan-
 tummodo Romam, & Vrbem diuersimode mihi ac-
 cipere liceat; quod in præsens differo, ne epistola-
 rem modum omnino excedam.

Si quis demum certiozem adhuc probationem
 meæ huius opinionis, de Alexandro authore operis,
 cupit, * curet (vt nos faciemus) ex alijs Alexandri 108
 monumentis, quorum duo indubia sunt, nempe
 Thermæ in Aedibus Mediceis, in quarum vsum,
 vt modò diximus, hic, de quo loquimur, Ductus de-
 riuatus fuit; & Sepulchrum inter Latinam, & La-
 bicanam in Monte Grani nunc dicto, Figlinarum
 figilla perquiri in lateribus, vel tegulis eorundem
 ædificiorum; si fortasse, vel iam exhibitum occur-
 rat, vel aliud * sequentis notæ; quod similiter la- 109
 teri arcuum num.7.

SEX·CAEC·PRO

H


etiam-

etiamnum inhærenti insculptum est. Ijdem enim characteres, bene eadem operum tempora demonstrabunt; cùm credibile sit, lateres vt primùm excocti erant, operibus, quæ tunc frequentia, & maxima excitabantur inseruisse, nec diu in officinis feruari solitos, vt & hodie vsu venit.

110^{*} Et quia, ingenui (vt ait ille) est pudoris fateri per quem profeceris; notitiam, quòd monumentum istud sepulchrale in Monte Grani, Alexandri, & Mameæ matris cineres texerit, Tibi acceptam refero, ac^{*} relationem Flaminij Vaccæ, quam mihi indicasti, conquistam, & repertam, Tibi regero. *Mi ricordo fuor di Porta San Giouanni vn miglio, passati gli Acquedotti, doue si dice il Monte del Grano, vi era vn gran massiccio antico, fatto di scaglia: bastò l'animo à vn Cauatore romperlo, & intrarui dentro, e poi calarsi giuso, tanto che trouò vn gran Pilo storiato con il ratto delle Sabine, e sopra il coperchio, vi erano due figure distese, con il ritratto di Alessandro Seuero, & Iulia Mamea sua madre. Dentro, vi si trouò delle ceneri; il detto Pilo si ritroua al presente nel Campidoglio, in mezo del Cortile del Palazzo, doue stanno i Conseruatori.* Hæc ille, in epistolâ sub die prima Nouembris MDXCIV. ad Simonettum Anastasium missâ, simplici quidem stylo, sed maiore, quam P. Arring. veritate, qui, in Viâ Labicanâ Sarcophagum repertum dicit lib. iv. cap. viij. num. 3; quamuis locus, Latinæ aliquantò magis accedat, & à priori, septem circiter stadijs distet. In recenti verò inscriptione, basi super quâ

quâ Sarcophagum erectum est insculptâ, locus re-
 peritionis dicitur extra * Portam nescio quam Labie-
 nam, cuius nec vola, nec vestigium, apud Authores. *
I I I
 Quamvis autem * nuperus ex Gallia Scriptor, ima-
 gines modò dicti Sarcophagi, Alexandrum, & Ma-
 mæam referre neget: communis tamen Virorum do-
 ctissimorum consensus, & indistincta cum nummis
 similitudo, assertionem nostram satis superque tuen-
 tur, nec nobis imponi patiuntur; * vt indè forsan,
 Aquæductus ab Alexandro excitati non leue argu-
 mentum accedat, si haud procul ab eo, & quâ inte-
 grè illius prospectus ab ipsâ Aquæ origine patet,
 perennem authoris memoriam, in Mausolei erectio-
 ne, Senatam P. Q. R. ibi renouasse reputemus.
 Amplitudinem enim Sepulchri,* quam Lamprid. ex-
 aggerat, dum ait in eius vitâ, *Coenotaphium in Gal-
 liâ, Romæ Sepulchrum amplissimum meruit*, non
 modicam ostendit, informis licèt, & omni ornatu
 spoliata moles, cuius hîc delineationem adiungimus. *
I I 2
I I 3

- A. *Cella rotunda concamerata, in quâ repertum fuit Sar-
 cophagum cum imaginibus Alexandri, & Mamæe,
 hodie in Capitolio existens*
- B. *Cellula, per quam ad iam dictum Conditorium patebat
 introitus, mediante portâ in M*
- C. *Scala præceps, unde illatum fuit Sarcophagum per por-
 tam M*
- D. *Murus, post illatum Sarcophagum ante ostium Condito-
 rij eleuatum, vt omnis aditus occluderetur*
- E. *Apertura recens, unde illud detectum fuit*
- F. *Hypogeum rotundum, depressâ concameratione, sub
 Conditorio.*



- G. Porta ad idem, lata ped. v. unc. ij, in muro v. pedes crassitiei habente
- H. Cryptoporticus, lata ped. v. unc. ij, longa ped. lxxx, inclinata in totâ istâ longitudine ad ped. vi. & semis
- I. Spatium ad caput Cryptoporticus, elatiori fornice, ad requiem superioris Scale substrandam
- K. K. K. Pavimentum toti edificio substratum, ex Tiburtinis lapidibus, crassitiei ped. i. unc. ij
- L. L. L. Rudera incerti, sed ut ex eorum ingenti aceruo colligere est, magnificentissimi, iuxta Spartianum, edificij.

* Varijs Aqua ista acquisitionibus hodie constat, ex quibus, præcipuæ sunt eæ, quæ sub Colle *delle Pantanelle*, palustri, & vliginoso solo scaturiunt. * 114

An has easdem venas Alexander, vel eius Aquileges olim conquissuerint, animi dubius sum: Contrarium enim potius mihi suadet, Aquæ recentis varians à veteri ingenium; hæc enim, ingentem, ut diximus, crustam suo Riuo obduxit, illa post centum ferè annorum curriculum, Ductum suum adhuc purum, nitidumque præstat: vnde in ipsis, qui nunc ad latera eius Vallis, hæc illac sparsim perfluunt, Osæ Fl. fontibus, Caput Aquæ Alexandrinæ statuerim. Illud tamen certissimè assero, * turpiter falli recentem Geographum, qui in suâ Chartâ Topographicâ * 115 anno MDCLXXIV. in lucem editâ, Aquam Sixtinam, à Lacu, quem Regillum Holstenius, rectissimè meo iudicio, vocat, (hodie *di Monte Falcone*) deriuat. Erroris caussam, putei supra Riuum subterraneum, qui prope hunc lacum visuntur, fortasse præbuerunt; dum Scriptor, parùm fanè accuratus, nec eorum vsque ad Caput Aquæ, siue ad primum Castellum

stellum continuationem, imò nec Castellum ipsum, integro milliaro hinc diffitum, animaduertit.*
 116^{*} Lacus verò, stagnantem Aquam, & potui omnino ineptam continet, nec insuper vnus diei erogationi sufficeret: æstiuo autem tempore, putridam profusus, & venenatam emitteret, ob maximam lini, & cannabis copiam, quam vicinorum Oppidorum accolæ huc ad macerandum comportant.

Sunt qui * ad sinistram Viæ Prænestinæ, hanc
 117^{*} Aquam oriri dixerint, & ita palmaribus literis, & plusquam palmari mendo, in Fonte primario apud Thermas Diocletianas habetur. Sed isti lapsi sunt, quia hodie, interruptâ, & imperuiâ ipsâ Viâ, * Præneste nonnisi per Labicanam aditur, cui propterea Prænestinæ Viæ passim nomen tribuunt. Hoc agnouit, & correxit Holsten. ad Cluuer. pag. 996. 123; sed haud secus, * & ipse lapsus fuit, dum recentem
 118^{*} Viam *del Finocchio*, à Labicanâ post Turrim Nouam deflectentem, veteribus aliquot lapidum fragmentis in ædificio illius Hospitij sparsis illectus, pro veteri Labicanâ, cuius indubia ad dexteram vestigia, ingenio certè, quàm pedibus melior, accepit, solâque Cluuerij sui, Cluuerij, inquam, qui illum produxerat, & ornauerat reprehensione contentus, (in quo, per summam ingratitudinem, simulque dicendi acerbitatem nimis frequenter peccat) nil vltra quæsiuit. Nos tamen veterem semitam à Tabernâ *dell' Osa*, in Viâ Prænestinâ, per Casale Sancti Antonij, hæc pertranseuntem, & indè, paullò supra *Torre Forame*, Labicanam interfecantem, &
 119^{*}
 ad

ad partes Tusculanæ , & Latinæ tendentem obseruauimus , & in Chartâ suo loco inscripsimus . Adeò vt plurimùm , *qui semitam non sapiunt* (vt Ciceronianâ illâ parœmiâ , lib. I. de Diuin. vtar) *alteri monstrant viam* .

Hæc Tibi coram , & super ipsâ locorum facie , faciliùs , ac forsan vtiliùs ostenderem : sed quia iam laborem respuis , & senium præ tendis ; vt ere senectutis prærogatiuâ , quâ Te diutiùs frui , communi rei literariæ bono , ex animo opto ; sedensque sententiam proferito .

Vale . Dabam ex
nostro Mu-
seo ,
die vltimâ AN. SAL.
MDCLXXVII.